Sacerdos infundit vinum,
postea aquam miscendam in Calice dicens:

De✚us, qui humánæ substántiæ dignitátem mirabíliter condídisti, et mirabílius reformásti *(et infundans parum aquae in Calicem, prosequitur:)* da nobis per hujus aquæ et vini mystérium, ejus divinitátis esse consórtes, qui humanitátis nostræ fieri dignátus est párticeps, Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus: per ómnia sæcula saeculorum. Amen.

Sacerdos lavat manus,
Id est extremitates digitorum pollicis et indicis, dicens:

Lavábo inter innocéntes manus meas: et circúmdabo altáre tuum, Dómine. Ut áudiam vocem laudis, et enárrem univérsa mirabília tua. Dómine, diléxi decórem domus tuæ: et locum habitatiónis glóriæ tuæ. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam: et cum viris sánguinum vitam meam. In quorum mánibus iniquitátes sunt: déxtera eórum repléta est munéribus. Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum: rédime me, et miserére mei. Pes meus stetit in dirécto: in ecclésiis benedícam te, Dómine. *(In Missa Requies* **Gloria Patri** *omittitur.)*

Corpus tuum, Dómine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potávi, adhæreat viscéribus meis: et præsta; ut in me non remáneat scélerum mácula, quem pura et sancta refecérunt sacraménta: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.